

PRÆFATIO.

ta. Nam literarum cognitio hominibus ab æterna Dei prouidentia ideò potissimum concessa est, ut per eas veluti custodes diuinæ voluntatis thesaurus, & cognosci & conseruari queat. Cum autem sine Scholarum præsidio & eruditorum hominum doctrina, literæ ipsæ neque intelligi rectè, neq; posteris integrè aut tradi aut relinqui possint, ex eodem cœlesti prorsus consilio inuentæ sunt Scholæ: in quibus Deus opt. Max: ipse publicè docuit & quibus suo exemplo non nisi optimos & integerrimos quosq; viros præficiendos esse uoluit. Harum institutum, doctrina, studium, & conuersatio cum diuina procul dubio sit atq; cœlestis planè: quid est, quod his uel timidorum hominum & imbecillium fortunæ, uel Ethnicorum fato aut Imperij aut iuris in literas atq; in Scholas rectè tribuere possis, Cedit itaq; virtuti quæ literis continetur fortuna, & fatum illud inane diuinæ cedit prouidentia. Literæ enim inuentum sunt Deorum, quod neq; potentia eripi neq; fortuna furripi potest. Scholas autem quid rectius dicere possumus, quam conuersationem cœlestem, cœtum bonorum virorum, receptaculum virtutum, Consilium Principum, Seminarium rerum pub: & propagationem posteritatis? Has non tantum contemnere crudele, sed uel ignorare uel negligere etiam maxima turpitudinis pars est. Bellorum porrò turbulentia bona studia exagitare quidem & hanc cœlestem conuersationem cum dissipare, tum loco separare, euertere autem minimè: imò nec bellorum duces quidquam absque studiorum & literarum beneficio etiam in hoste uel aggradiundo, uel propulsando memorabile vnquam efficere possunt. Sed optimus miles is est, qui cum armis literas, consilium & prudentiam coniungere didicerit. Neque ergo fatum, neque fortunam, neque etiam bellorum iniuriam, aut vllam rerum vicissitudinem rectè illi accusare videntur. Sed si quod res est fateri liceat, ego ex ipsa Academia historia comperi, hanc calamitatem, quæ antiquissimæ huic & celeberrimæ Scholæ, ante annos XLVI. acciderat, ex solo literarum contemptu fuisse profectam.

fectam.